



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies  
Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Lioba Abbatissa. 28. Septembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

struere CHARITON, & ex urbe socios vitæ plurimos in silvas pellicere , jamque asceteria terna condere, verbis, exemplo tenere. Post hæc denique placuit rupem descendere ( per solas scalas aditus erat) indeque velut ex arce suis advigilare. Fons quoque cum deesset, lacrimis hunc mercatus est. Denique cum ad suos undique convocatos pro virtute verba faceret , dixit & vixit. Ex Metaphr.

*Si mortem assiduè meditaberis, non peccabis: si ab omnibus terrenis negotiis liber ac nudus fueris, latronis impetum non timebis: si hæc caduca & fugacia despexeris, victoria palmarum obtinebis.* S.Ephrem in Beatitud.

## S. LIOBA ABBATISSA. 28.Septembris.

LIOBA est , nobilis cum primis & Deo dicata virgo, eademque virginum multarum mater. Et hanc, cum Germaniam percoleret D. Bonifacius, ex Angliâ in auxilium evocavit, ut novo Parthenoni Bischoffsheimensi Antistes præesseret. Vitam vixit , quam rebellis cælo Angelus invideret homini. Inde cum labe nullâ posset , sinistris rumoribus famam vitiare virginis aggressus est in hunc modum. Muliercula stipe vicitabat, quam in dies singulos virginum asceterium porrigebat. Hæc cum prolem extra thori leges enixa esset, crimen mergere cum partu in rivo voluit , qui cœnobium proximus alluebat. Sed non eluerunt aquæ facinus ; prodiderunt, & in suspicionem cædis ad populum totum virginum Collegium vocarunt. Hic LIOBA in auxilium Superos passis manibus tam diu vocare , dum Davidis omnia carmina percurreret. Inde cœnobii muros circumlatâ cruce lustrare. Neque refugit patrocinari cælum,

cælum. Sceleris conscia mulier à dæmone correpta ultrò se sttit, & crimen fassa innocentes omnes absolvit. Porrò LIOBÆ de Deo illi fuere sermones, ut hos Imperatoriæ Caroli M. & conjugis augustissimæ aures sitirent. Miris etiam post mortem plurimis, multis etiam in vitâ claruit. Inter hæc illud memorandum, quod tempestatem ultima minitantem urbi crucis signo fugavit, CHRISTIQUE & MARIA nomine omne cælum serenavit. Et verò ad geminos soles cur non nubes fagerent? Ex Surio.

*Si propriam gloriam queris, florenti invides, absenti detrahis, reponis lalentib; te. Hoc Christus non fecit. Confiteris te nosse Deum, factis autem negas; non recte, non plane, sed impie; linguam Christo, animam dedisti diabolo. S.Bern.Serm.24.sup.Cant.*

### S. MICHAEL ARCHANG. 29. Septemb.

**M**ICHAELEM vides Angelorum bonorum omnium Principem, malorum omnium dominorem: Numinis ad mortales principem legatum, horum ad cælos ductorem fidissimum, operumque exquissimum libipendem. Tam benè itaque de se merito Christiana Respub. jam olim trophæa, aras & templa statuit. Nam ut montem Garganum, cuius alibi mentionem fecimus, hic taceam, D. Joannis Apostoli ætate MICHAELIS nomen, quod salutiferas in hominum usum aquas eduxisset, apud complures populos celeberrimum fuit. D. etiam Autbertus sub annū Christianū DCC. IX. ita jubenti MICHAELI ædem in rupe, quam mare undique alluit, exædificavit. Imp. deinde Constantinus, cum ejus auspiciis hostes suos omnes deviceret, gratitudinis monumentum splendidissi-